RECTOR

ACADEMIAE LIPSIENSIS

SACRA NATALITIA

DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI

DIE XXV. MENSIS DECEMBRIS A. CIↃIↃCCXCVIII

IN

AEDE PAVLINA

PIE CELEBRANDA

INDICIT

SPICILEGIVM XXVI.

Autographorum, illuſtrantium rationem, quae intercesſit Eraſmo Roterodamo cum aulis et hominibus aeui ſui praecipuis omnique republica.

MARTINI DAVIDIS,

Canonici Bruxellenſis, Epiſtolae duae, AA. 1522. et 1531. ad Eraſmum datae, ex Autogr.

Auctor Indicis, qui Tomo III. Operum Eraſmi (Lugd. Bat. 1703. fol.) eſt praemiſſus, vnam tantum notauit epiſtolam, ab ERASMO miſſam *Martino Dauidi*, *Canonico Bruxellano*, quae legitur p. 1136. ep. 1002. et ſcripta eſt Louan. A. 1528. Omiſit vero *ſeptem* alias ERASMI epiſtolas, annis 1518. et 1519. datas ad *Martinum Bruxellanum*, ſeu *Bruxellenſem*, (vid. ep. 369. p. 382. ep. 370. p. 383. ep. 401. p. 425. ep. 485. p. 534. ep. 486. p. 534. ſequ. ep. 487. p. 535. ep. 488. p. 535.) qui nemo alius eſt, quam noſter *Martinus Dauidis;* vt docet collatio epiſtolarum inter ſe, et cum Eraſmi epiſt. 1279. ad Damianum a Goes miſſa d. 21. Maii A. 1535. Friburgo, vbi p. 1500. Eraſmus ſcribit: „Animus meditatur ex „hoc miſero domicilio emigrare. — Aliquot amici nos „praeceſſerunt in *Brabantia:* Viandulus egregie doctus, „*Martinus Dauidis*, *hoſpes quondam meus*, *Bruxellae*, etc.“ Conferantur epiſtolae nunc ex autogr. edendae.

Nullam vſquam vidi huius *Martini Dauidis*, *Bruxellani*, ad Eraſmum epiſtolam editam. Quare duae illae, quae nunc ex Autogr. in lucem prodeunt, attentione haud indignae videntur; non propter ſtilum latinum, ſed propter argumentum et amicitiam, quae fuit auctori cum Eraſmo.

Prior, ſcripta d. 10. *Ianuarii* A. 1522. *Bruxellis*, (v. Index h. a. n. 1.) reſpondet ad *litteras Eraſmi*, et loquitur de rebus *priuatis*; de *Priore* monaſterii *Antuerpienſis*, iuſſu *Caeſaris Bruxellas* adducto et in *carcerem* coniecto; de *Egmondano*, *Latomo*, aliisque.

Domine Eraſme, mi Praeceptor [1]) amantiſſime! Die viceſima nona Decembris recepi litteras veſtras [2]), Baſileae ſcriptas poſtridie Thomae Apoſtoli [3]), quibus vt, breuiter me expediendo, reſpondeam, primo in quantum de Denariis, quos Dominatio veſtra ſub me reliquit ad opem Franciſci Berckmanni [4]), eosdem effectualiter in numerata pecunia tradidi ad manus eiusdem Franciſci, die decima tertia menſis Decembris nouiſſime praeteriti; qui tunc, vt dixit, venit Bruxellas, inviſurus Dominum Priorem monaſterii Sancti Auguſtini oppidi Antuerpienſis. Qui quidem Prior, iuſſu Imperatoris, vt ferebatur, ex Antuerpia erat adductus Bruxellas, et pro tunc habebat, prout ore Deputati habemus, pro carcere Domum

Dei

1) In epiſtolis 486. et 487. anno 1519. ſcriptis, p. 535. *Eraſmus* noſtrum *Martinum Bruxellenſem* vocat *aetate filium*, *ſacerdotio* et *preſbyterio fratrem.*

2) Nuſquam leguntur, ſed periiſſe videntur iſtae *Eraſmi* litterae.

3) D. 22. Decembris A. 1521.

4) Bibliopolae Antuerpienſis, vt docet *Eraſmi* epiſtola 706. ad Conradum Goclenium data Baſil. 13. Octobr. A. 1524. p. 822.

Dei Fratrum de Nazareth [5]). Ob quam caussam, aut quid negotii tractetur cum eo, nescio [6]). Audiui tamen, Egmondanum [7]), Lathomum [8]) et alios quosdam habuisse disputationes cum eodem, et breui caussam fore decidendam. Ferunt etiam nonnulli, aliqua per eumdem Priorem fore retractanda,

 quae

5) De hoc *Priore* scripserat *Erasmus* Martino *Luthero*, in epist. 427. Louanio 30. Maii A. 1519. p. 445. „*Est Antuerpiae Prior eius monasterii*, „*vir pure Christianus*, *qui te vnice* „*deamat*, *tuus olim discipulus*, *vt* „*praedicat. Is omnium pene solus* „*Christum praedicat. Caeteri fere* „*aut hominum fabulas*, *aut suum* „*quaestum praedicant.*" Seckendorfii Hist. Luth. Lib. I. Sect. 45. §. 110. n. 9. (A. 1521.) nomen et fata eius docet his verbis: „*Antuerpiae* — a „duobus iam annis *Prior Augustinia*„*norum*, *Iacobus*, cognomento *Prae*„*positus*, alias *Spreng*, Lutheri imi„tatione concionatus fuerat. (Ille „nempe, cuius elogium facit Eras„mus in epistola ad Lutherum. —) „Is vero hoc anno *Bruxellas* ductus, „mireque diuexatus, et ignis sup„plicio territus, palinodiam publice „egit, ineunte anno sequenti, mense „Februario, coram *Hieronymo Ale*„*andro*, Commissario Apostolico, „*Hieronymo Vandernoot*, Cancella„rio Brabantiae, *Adriano Herboutio*, „Suffraganeo Cameracensi, *Ioh. Gla*„*pione*, Caesaris Confessario, aliis„que; eamque typis Lipsienses vul„garunt. — At idem *Iacobus*, tunc „dimissus, *Brugis* in Flandria iterum „praedicare, quae abiurauerat, coe„pit, et e carcere *Bruxellensi*, in „quem denuo compactus fuit, ope „Franciscani cuiusdam elapsus, post„modum quae secum acta erant ipse „publicauit, et lapsum deprecatus „*Bremae* multis annis Euangelium „docuit."

6) Vid. de hoc *Priore* verba in adnot. 5. citata.

7) *Nicolaus Egmondanus*, Carmelita, Inquisitor Belgicus, Louanii, fuit acerrimus Lutheri et Erasmi adversarius, linguarum et bonarum litterarum omnium osor, de quo multa leguntur in Erasmi epistolis. De morte eius loquitur *Erasmus* in ep. 859. ad Mercurinum Gattinarium, Caroli V. Caesaris Cancellarium, Basil. 29. April. A. 1527. p. 974. Videtur hic esse is, de quo Epitaphium:

Hic iacet Egmondus,
Telluris inutile pondus;
Dilexit rabiem,
Non habeat requiem!

8) *Iacobus Latomus* fuit Theologus Louaniensis, Lutheri et Erasmi aduersarius, de quo vid. Tomus III. Opp. Erasmi, qui de eo saepius loquitur in suis epistolis; Seckendorfius in Hist. Luth., qui etiam de eius desperatione et morte a. 1544. Sweertius in Athenis belgicis, etc.

quae in concionibus praedicauit, rel. [9]). De rebus veſtris credite, illas vſque in praeſens fidiſſime atque ſecretiſſime fore ſeruatas, ac in futurum, vt optatis et confiditis, ſeruandas. De Procuratorio habui conferentiam cum Magiſtro Guidone [10]). Id fieri non poteſt per nos, niſi Dominatio veſtra adſit in perſona. Parcatis ſtili ineptiae. Non plura pro praeſenti. Ex Bruxellis [11]), die decima menſis Ianuarii, Anno XXII. more romano, per veſtrum humilem ſeruitorem,

Martinum Dauidis,

quo vt tuo vtere.

Omnium Doctiſſimo Domino Eraſmo Rotterdamo, Praeceptori ſuo obſeruandiſſimo,

Baſileae.

Poſterior, d. 19. *Nouembris* A. 1531. *Bruxellis* ſcripta, (v. Index h. a. n. 18.) dicit de *litteris Eraſmi;* de *Epitaphio Philippi Hanetonis;* de *Lamberto* de *Briardis*, Conſiliario Caeſaris in Conſilio Mechlinienſi, eiusque *vxoribus* et *ſoceris;* de eiusdem amore ſcriptorum *Eraſmi*, *Pariſiis viſi*, et deſiderio explicationis Pſalmi quinquageſimi; de *eodem*, *viro bono* et *humano*, *ad altiora promouendo*, et *Eraſmo* quoad *penſionem* Caeſaream multum profuturo per ſocerum ſuum; de *filiis Syluagii*, nuper Cancellarii Magni, *Ioanne* mortuo, et *Antonio* ſuperſtite, etc.

Salute

9) Vid. adnot. 5. vbi de fatis huius *Prioris* dixi.

10) Neſcio quo.

11) *Bruxellas*, caput Brabantiae, Galli *Bruxelles*, Germani *Brüſſel* vocant.

Salute praemiſſa. Recepi nuper litteras de manu Domini, Friburgi ſcriptas quarto Kal. Septembris [12]), ex quibus intelligo, quod Dominus Hoſpitem ſuum [13]) Bruxellanum commendatum habet, prout etiam pluries ſum expertus. Nam recepi Epitaphium quondam Domini et Magiſtri Philippi Haneton [14]), de quo non memini me gratias egiſſe, ſicque gratias ago. Eſt Mechliniae quidam Magiſter Lambertus de Briardis, Conſiliarius ibidem in Conſilio Imperatoris [15]), qui quondam

12) Nuſquam editas inuenimus haſce litteras.

13) *Hoſpitem ſuum* Martinum hunc vocat ipſe *Eraſmus*, in ep. 1002. p. 1136. et ep. 1279. p. 1500.

14) Epitaphium illud miſerat *Eraſmus* Martino noſtro, cum epiſtola, Louanii A. 1528. ſcripta, quae eſt ep. 1002. p. 1136. *Epitaphii* haec verba notum facient Virum illum lectoribus noſtris: „PHILIPPVS „HANETON, *clarus auro, hic eſt „Eques*, REGI PHILIPPO, CAE„SARIQVE CAROLO, *cum laude „geſſit Audientiarium; Sacer ordo, „quem Vellus decorat aureum, voluit „eundem praeeſſe theſauris ſuis*" etc. REX PHILIPPVS, cuius fit mentio in Epitaphio, fuit filius *Maximiliani I.* Imperatoris; maritus *Iohannae*, filiae *Ferdinandi Catholici*, Hiſpan. Regis, et *Iſabellae;* pater *Caroli V.* et *Ferdinandi I.* Imperatorum; *Rex Caſtiliae*, propter vxorem, ab anno 1504. vſque ad mortem a. 1506. *Philippum Auſtriacum* et *Pulchrum* vocant hiſtorici.

15) *Lambertus Briardus (de Briaerde)* fuit Dunquercanus, Flander, fratrum XIV. natu minimus, vir ſumma eruditione, prudentia et experientia, Eques auratus, primùm Magiſter libellorum ſupplicum Conſilii Caeſarei Mechlinienſis, deinde eiusdem Conſiliarius, tandem vero Praeſes, Carolo V. Imp. chariſſimus, cuius fere omnibus conſiliis interfuit. Annos fere triginta magno iſti Conſilio Belgico cum laude praefuit. Scripſit etiam nonnulla, in primis Opus Conſiliorum, ſiue Reſponſorum Iuris, de materia Appellationis. Mortuus eſt Mechliniae, anno 1557. Vid. Sweertius in Athenis belgicis. Miſit eum *Carolus V.* anno 1533. Legatum ad *Ioannem Fridericum Magnanimum*, Electorem Saxoniae, et caeteros Principes Ordinesque Proteſtantes. In diplomate Caeſaris germanico, ad omnes Imperii Ordines d. 21. Febr. 1533. dato, vocabatur BRIARDVS *honorabilis et doctus Conſiliarius et Supremi Senatus Mechlinienſis Praeſes.* Vid. Seckendorfius in Hiſt. Luth. a. 1533., vbi et eius ad Electorem Saxon. litterae exhi-

quondam habuit in vxorem filiam praefati Magiſtri Philippi Haneton, quae defuncta eſt; modo vero habet in vxorem filiam D. Iohannis Mychart, Receptoris generalis Imperatoris ad partes inferiores. Hic vidit Dominum Eraſmum Pariſiis [16]), et delectatur plurimum in ſcriptis Domini Eraſmi. Sicque requiſiuit me, quatenus ego, quanquam indignus, monerem Dominum ad aliquid ſcribendum in Pſalmum quinquageſimum [17]): Miſerere mei Deus. Nam, vt retulit mihi, non poteſt ſatiari in legendo, quae Dominus ſcripſit in plures alios Pſalmos. Eſt hic vir tam bonus et humanus ad altiora, vt ſpero, promouendus [18]); qui adhuc in poſterum multum poſſet prodeſſe, per praefatum Receptorem generalem, quoad penſionem Imperatoris. Non diſpliceat, quod ego tam inculte tamque inuerecunde auſim haec ſcribere, aut monere. Iam defunctus eſt Magiſter Iohannes Syluagius, filius Cancellarii Magni defuncti [19]), et Antonius Syluagius ſolus filiorum ſupereſt,

exhibentur, cum hiſtoria itineris et receptionis. In Autographo germanico, quod eſt in manu noſtra, Articulos de Concilio futuro, ad Electorem miſſos, Briardus ita ſubſcripſit: *Lambertus von Briaerde ſſzt.*

16) Tomo III. Opp. editae ſunt epiſtolae, ab ERASMO *Pariſiis* ſcriptae, annis 1497. 98. 99. 1500. 1503. 1504. 1505. 1506. 1507. 1510. Collatio cum aliis epiſtolis docet, *Eraſmum* variis temporibus commoratum eſſe *Pariſiis.*

17) Secundum Verſionem Vulgatam. In Codicibus hebraeis et verſione Lutheri Pſalmus hic eſt quinquageſimus primus.

18) Vera praedixit auctor epiſtolae huius de *Lamberto Briardo.* Vid. adnot. 15.

19) *Ioannes Syluagius*, *(Sauvage,)* Ioannis et Antonii pater, olim Louanii publice Ius Ciuile docuerat; poſthac fuerat Flandriae Praeſes, deinde Cancellarius Brabantiae, tandem Summus Cancellarius Burgundiae Hiſpaniaeque, et Eques auratus. Diem ſupremum obierat anno 1518. aet. 64. Bruxellis. *Eraſmus* eum ſummopere laudat in epiſtolis editis, inter quas exſtant *Io. Syluagii*, Burgundiae Cancellarii, vna ad Eraſmum data Bruxellis 8. Iulii 1516. (p. 1561. ep. 68.) et duae *Eraſmi*

pereſt, et tenet ſe in Steenkercka [20]), qui plurimum ſtudioſus eſt, et petiit a me, Curato [21]) ſuo in Steenkercken, plurimum Domino Eraſmo commendari. Frater meus [22]) et tota familia ſe maxime commendant. Dominus Magiſter Ioannes [23]), Iacobi [24]), Buſlidius [25]), omnes valent. Ex Bruxellis [26]), per veſtrum humilem hoſpitem et ſeruitorem, XIX. Nouembris, anno triceſimo primo,

Martinum Dauidis, ſeruitorem ad mandata obſequentiſſimum.

Domino Eraſmo Rotterdamo, Friburgi.

LVCAE BATHODII, Eccleſiae Argentinenſis Diaconi, Epiſtola A. 1525. ad Eraſmum data, ex Autogr.

Nulla quidem *Eraſmi* ad *Bathodium*, nec huius ad illum, edita legitur epiſtola. At mentionem eius fecit *Eraſmus*,

Eraſmi ad Io. Syluagium, Regis Catholici Cancellarium ſummum, Antverp. 1. Iun. 1515. (p. 155. ep. 176.) et ad Cancellarium Burgundiae, Louan. 6. Mart. 1518. (p. 1673. ep. 270.) Scripſit hic Syluagius *Reſponſa in Iure*, aliaque ad *Praxin* pertinentia. Vid. Sweertius in Athenis belgicis.

20) *Steenkercken*, ſiue *Stenkirchen*, eſt pagus Hannoniae, (Germ. Hennegau,) in finibus Brabantiae.

21) Gall. *Curé*, Germ. *Pfarrer*.

22) Ignotus homo.

23) *Ioannes Sucquetus*, vt videtur, ad quem ſcripſit *Eraſmus* anno 1525. (p. 909. ep. 791.) tanquam virum, qui gratia et auctoritate plurimum valeat in aula Caeſaris belgica.

24) Fortaſſe *Iacobus Spiegel*, de quo vid. Spicileg. VIII. p. 16. ſeqq. *Iacobus Latomus*, Theologus Louanienſis, *Iacobus Canta*, ad quem litteras dedit Eraſmus A. 1532. aut alii ignoti.

25) *Aegidius Buſlidius*, Bruxellis, Caroli V. Caeſaris a Rationibus, de quo vid. Spicil. IV. p. 6.

26) Vid. adnot. 11.

mus, in litteris ad Nicolaum Gerbelium, Iuris Pontificii Doctorem, datis Louan. 20. Octobris A. 1518, his verbis: „Saluta diligenter nouum amicum, *Bathodium*. Sic ditefco „in dies." Vid. T. III. Opp. Er. p. 354. epift. 341. Deinde in ep. 650. ad Marcum Laurinum, Bafil. 1. Febr. A. 1523. p. 752. — „*Argentoratum* peruenio. Nec hic decreueram „commorari, fed Iacobus Spiegel, Caefaris Secretarius, — „me prodidit fodalitio, cui nuper accefferat *Lucas Bathodius*, „et hoc in amore caeteris vehementior."

Vnica, quae nunc ex Autogr. in lucem prodit, *Bathodii* ad *Erafmum* epiftola fcripta eft *Argentorati*, d. 1. *Octobris* A. 1525., (v. Index h. a. n. 12.) in qua de *auctoribus latinis* nonnullis, praefertim *Terentio*, ne puerorum et iuuenum chriftianorum moribus nocere poffint, *Erafmi* flagitat operam.

Dn. Erafmo Roterodamo S. D.

Si quid apud te, Doctiffime Erafme, indoctorum preces valebunt, impudentior ego praeftantiam tuam, grauioribus fortaffis occupatam, interpellare audeo; oraturus, non mea, cui, in aliud minifterium, nempe pauperum curandorum, vocato, litteris vacare amplius haud fatis licebit, fed chriftianae pubis cauffa, in latina lingua bene et feliciter inftituendae. Quam tametfi non ignorem docte fimul atque magno charitatis affectu initiandam docueris, in libello, cui titulus: de ratione ftudii; eft tamen, quod chriftiana finceritas in nonnullis Auctoribus illic recenfitis defideret, innocenti adhuc aetati praelegendis, cui alioqui optima nonnunquam, nifi antidotum adhibeas, offenfioni erunt. Ex quibus quanto melio-

res

res fuerint recte loquendi auctores, et quotidiano ſermoni accommodatiores, ipſo tamen argumenti genere impuriores, ne dicam ineptiores, quam vt illi aetati par ſit atque conueniat, tanto nocentiores hoſce iudicarim. Tegatur id colore quantumuis exquiſito! (Veniam dabis indocto, doctiſſime.) Caeterum quum ex omnibus Terentium in hoc verſari compe- rimus, qui vnus poſſit eſſe talis, in quo, quicquid ad quotidiani ſermonis nitorem ac copiam attinet, puer verſetur, iſtiusmodi autem argumentorum generibus ſcateat, vt (niſi Comoediam decoro ſuo fraudes) ſine offendiculo puer non capiat; factum videmus, vt prius didicerit puellas, quam litteras, amare. Sicque ex bonarum litterarum initiis, imprudentia praeceptorum, qualium plus nimio hactenus fert hoc ſeculum, peſſimi mores quoque ſuccreuerunt. Huic morbo medendo tu vnus occurris, qui praeſtare poteris, quod deſideratur, nempe vt honeſtioribus argumentis ſingulae Comoediae veſtiantur, petulantibus in feueriora mutatis. Quod vt poſſis, tua doctiſſima paſſim teſtantur litterarum monumenta. Vt velis, orat mecum omnis ſtudioſa iuuentus. Et vt tandem debeas, monet chriſtiana pietas. Quorum gratia, optimo cuique antehac abunde perſuaſum eſt, natum eſſe te, vnicum collapſae litteraturae vindicem atque reſtauratorem. Bene vale. Argentorati, Calendis Octobris, Anno chriſtianae ſalutis MDXXV.

Lucas Bathodius,
Argentinenſis eccleſiae Diaconus.

Clariſſimo Viro, Dn. Deſiderio Eraſmo Roterodamo, optimarum litterarum optimo patrono,
Baſileae.

Sed

Sed nunc Vobis, Ciues Optimi, indicenda ſunt Sacra Natalitia Seruatoris ac Domini noſtri IESV CHRISTI, proximo die XXV. Menſis Decembris pie ac religioſe celebranda. Orationem Anniuerſariam, inter Sacra Euchariſtica, Hora XII. in Aede Academica habebit Vir Praeclariſſimus, CAROLVS GOTTLOB STOY, Penigenſis, Artium Magiſter et ad Aedem Academicam in ſacris poſt meridiem Orator, oſtendere qui ſtudebit: Naturae humanae dignitatem ſuam, cum CHRISTVS Homo naſceretur, reſtitutam, atque adeo auctam eſſe. Actum hunc vt praeſentes ornare et Orationem illam audire velint SERENISSIMVS HOLSATIAE DVX, Lipſiam nunc praeſentia SVA illuſtrans, COMITES ILLVSTRISSIMI, VTRIVSQVE REIPVBLICAE PATRES et PROCERES GRAVISSIMI, COMMILITONES GENEROSISSIMI, NOBILISSIMI, CARISSIMI, omni, qua par eſt, obſeruantia et humanitate rogamus. P. P. Domin. IV. Aduent. A. R. S. cIↄIↄccxcvIII.

LIPSIAE

EX OFFICINA KLAVBARTHIA.